


sectoris $F A E$, ad sectorem $D A E$, hoc est, (per ultimam sexti) quam anguli $B A C$, ad angulum $C A D$, quod demonstrandum erat.

PROPOSITIO VI.

Isoperimetrarum figurarum regularium, maior est illa, quæ plures continet angulos, plurave latera.

SINT duæ figuræ regulares isoperimetræ $A B C$, $D E F$, habeatq; plura latera, siue angulos figura $A B C$, quam $D E F$. Dico $A B C$, maiorem esse, quam $D E F$. Describantur enim circa figuras circuli, a quorum centris G , H , ducantur ad $B C$, $E F$, perpendiculares $G I$, $H K$, quæ diuident rectas $B C$, $E F$ (per 3. propos. tertij) bisariam. Quoniam igitur figura $A B C$, plura habet latera, quam $D E F$, sibi isoperimetra, efficitur, ut latus $B C$, sæpius repetitum metiatur ambitum figuræ $A B C$,



quam latus $E F$, ambitum figuræ $D E F$. Quare latus $B C$ minus erit latere $E F$, ideoq; $B I$, medietas lateris $B C$, minor, quam $E K$, medietas lateris $E F$. Ponatur $K L$, equalis ipsi $B I$, & ducantur rectæ $L H$, $H E$, $H F$, $G B$, $G C$. Et quia omnes arcus circuli $D E F$, sunt (per 28. propos. tertij) æquales, quod & rectæ subtensæ æquales ponantur; erit recta $E F$, ita submultiplex ambitus figuræ $D E F$, ut arcus $E F$, submultiplex est circumferentiæ circuli $D E F$: Eademq; ratione ita multiplex ambitus figuræ $A B C$, ad rectam